Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Gustate et videte quoniam suavis est dominus. beatus vir qui sperat in eo. Timete dominum omnes sancti eius quoniam non est inopia timentibus eum. Divites egentati sunt et esurierunt. inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Venite filii audite me timorem domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam. diligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo et fac bonum inquire pacem et persequere eam. Oculi domini super iustos et aures eorum in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala. ut perdat de terra memoriam eorum. Clamaverunt iusti et dominus exaudivit eos. et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde et humiles spiritu saluabit. Multe tribulationes iustorum. et de omnibus his liberavit eos dominus. Custodit dominus omnia ossa eorum. unum ex his non conteretur. Mors peccatorum pessima et qui oderunt iustum delinquent.

Redimet dominus animas seruorum suorum et non derelinquet omnes qui sperant in eo.

Vindica domine nocentes me expugna impugnantes me. Apprehende arma et scutum et exurge in adiutorium mihi. Effunde framea et conclude adversus eos qui persequuntur me. dic anime mee salus tua ego sum. Confundantur et revereantur simul querentes animam meam. Avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti et angelus domini coartans eos. Fiat via illorum tenebre et lubricum et angelus domini persequens eos. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laqueum suum super nequam exprobrauerunt animam meam. Veniat illi laqueus quem ignorat et capio quam abscondit apprehendat eum et in laqueo cadat in ipsum. Anima autem mea exultabit in domino et delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea dicent domine quis similis tui. Eripiens inopem de manu fortiorum eius egenum et pauperem a diripientibus eum. Surgentes testes iniqui que ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem anime mee. Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam et oratio mea in sinu meo conuertetur. Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam qui lugens et contristatus sic humiliabar. Et aduersum me letati sunt et congregati sunt super me flagella et ignorauerunt. Dissipati sunt nec compuncti. temptauerunt me. subsannauerunt me subsannatione. frenduerunt super me dentibus suis. Domine quando restitues animam meam a malignitate eorum